

## SOLUTIO IV.

Ad quintam questionem dicendum, quod duplex est modus quo aliquid ex alio procedit. Unus secundum quem procedit in similitudinem speciei, sicut ex homine generatur homo: alius secundum quem procedit dissimile in specie, & hic processus semper est in inferiore specie, ut patet in omnibus agentibus æquivoce. Primus autem modus processionis quotiescumque iteretur, semper remanet eadem species, sicut si ex homine generetur homo per actum generativæ virtutis, ex hoc quoque generabitur homo, & sic deinceps. Secundus autem modus, sicut in primo facit aliam speciem, ita quotiescumque iteratur, aliam speciem facit; ut si ex puncto per motum procedit linea, non punctus, quia punctus motus lineam facit; ex linea linealiter mota non procedit linea, sed superficies, & ex superficie corpus, & ulterius per talem modum processus aliquis esse non potest. Invenimus autem in processu attentionis duos modos, quibus vinculum huiusmodi causatur. Unus per carnis propagationem, & hic facit semper eandem speciem attentionis: alius per matrimonialem conjunctionem, & hic facit aliam speciem in principio, sicut patet quod conjuncta matrimonialiter consanguineo non fit consanguinea, sed affinis. Unde, etsi iste modus procedendi iteretur, non erit affinitas, sed aliud attentionis genus: unde persona quæ matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis, sed est aliud genus affinitatis, quod dicitur secundum genus. Et rursus, si affini in secundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio: ut in hoc versu supra posito ostenditur:

*Mutat nupta genus, sed generata gradum.*

Et hæc duo genera olim erant prohibita propter publicæ honestatis justitiam magis quam propter affinitatem, quia deficiunt à vera affinitate, sicut illa attentionis quæ ex sponsalibus contrahitur; sed modo prohibitio illa cessavit, & remanet sub prohibitione solum primum genus affinitatis, in quo est vera affinitas.

Ad primum ergo dicendum, quod alicui viro (4) consanguineus uxoris ejus efficitur affinis in primo genere, & uxor ejus in secundo: unde mortuo viro, (5) qui erat affinis, non poterat eam ducere in uxorem propter secundum affinitatis genus. Similiter etiam si aliquis viduam in uxorem ducat, consanguineus prioris viri, qui est affinis uxori in primo genere, efficitur affinis secundo viro in secundo genere, & uxor illius consanguineus quæ est affinis uxori viri hujus in secundo genere efficitur affinis viro secundo in tertio genere. Et quia tertium genus erat prohibitum propter honestatem quamdam magis quam propter affinitatem, ideo canon (Porro causa xxxvi. quæst. iv.) dicit: *Duas consanguineorum uxores uni viro altera post alteram nubere publicæ honestatis justitia contradicit.* Sed nunc talis prohibitio cessavit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis carnalis conjunctio conjungat, non tamen eodem genere conjunctionis.

Ad tertium dicendum, quod uxor viri efficitur ejusdem attentionis consanguineus viri quantum ad eundem gradum, sed non quantum ad idem attentionis genus.

Sed quia ex rationibus quæ in oppositum inducuntur

(4) *Al. consanguineo uxori suæ.* (5) *Nicolajus: addit ille.*

tur, videtur ostendi, quod nullum vinculum ex affinitate causeatur, ad alias rationes respondendum est, ne antiqua Ecclesiæ prohibitio irrationabilis videatur.

Ad quartum dicendum, quod mulier non efficitur affinis in primo genere viro cui conjungitur carnaliter, ut ex prædictis patet. Unde communiter alii mulieri à viro eodem cognitæ efficitur affinis in genere secundo: unde hæc ducenti in uxorem unam earum efficitur alia affinis in tertio genere; & ita duas mulieres cognitas ab eodem viro nec etiam antiqua jura eidem successive copulari prohibebant.

Ad quintum dicendum, quod sicut vir non est affinis uxori suæ in primo genere, ita non efficitur affinis secundo viro ejusdem uxoris in secundo genere; & sic ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod mediante una persona non conjungitur mihi alia, nisi ex hoc quod ei conjungitur; unde mediante muliere quæ mihi est affinis, nulla persona fit mihi attinens, nisi quæ illi mulieri adjungitur; quod non potest esse nisi per carnis propagationem ex ipsa, vel propter conjunctionem matrimonialem ad eam: & utroque modo aliqua attentionis mediante prædicta muliere secundum antiqua jura mihi proveniebat: quia filius ejus etiam ex alio viro efficitur mihi affinis in eodem genere, sed in alio gradu, ut ex regula prius data patet. Et iterum secundus vir ejus efficitur mihi etiam affinis in secundo genere, sed consanguineus alii illius mulieris non adjunguntur ei; sed ipsa vel conjungitur eis, sicut patri, & matri, in quantum procedit ab eis, vel principio eorundem, sicut fratris: unde frater affinis meæ, vel pater non efficitur mihi affinis in aliquo genere.

## ARTICULUS II.

*Utrum affinitas matrimonium impediatur.*

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod affinitas matrimonium non impediatur. Nihil enim impedit matrimonium nisi quod est illi contrarium. Sed affinitas non contrariatur matrimonio, cum sit effectus ejus. Ergo non impedit matrimonium.

2. Præterea. Uxor efficitur per matrimonium res quædam viri. Sed consanguineus viri defuncti succedunt in rebus ejus. Ergo possunt succedere in uxore, ad quam tamen manet affinitas, ut ostensum est. Ergo affinitas non impedit matrimonium.

Sed contra est quod dicitur Levit. xviii. 8. *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis.* Sed illa est tantum affinis. Ergo affinitas impedit matrimonium.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod affinitas habeat etiam per seipsam gradus. Cujuslibet enim propinquitatis est accipere aliquos per se gradus. Sed affinitas propinquitatis quædam est. Ergo habet gradus per se sine gradibus consanguinitatis, ex quibus causatur.

2. Præterea. In littera dicitur, quod soboles secundæ conjunctionis non potest transire ad consortium affinitatis prioris viri. Sed hoc non esset, nisi filius affinis esset etiam affinis. Ergo affinitas habet per se gradus, sicut consanguinitas.

Sed contra. Affinitas ex consanguinitate causatur. Ergo & omnes gradus affinitatis causantur ex gradibus consanguinitatis, & sic non habet per se aliquos gradus.

## QUÆSTIUNCULA III.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod gradus affinitatis non extendantur, sicut gradus consanguinitatis. Quia vinculum affinitatis est minus forte quam consanguinitatis, cum affinitas ex consanguinitate causeatur in diversitate speciei, sicut à causa æquivoca. Sed quanto fortius est vinculum, tanto diutius durat consanguinitas. Ergo vinculum affinitatis non durat usque ad tot gradus ad quod durat consanguinitas.

2. Præterea. Jus humanum debet imitari jus divinum. Sed secundum jus divinum aliqui gradus consanguinitatis erant prohibiti, in quibus gradibus affinitas matrimonium non impediatur, sicut patet de uxore fratris, quam aliquis poterat ducere in uxorem ipso defuncto, non tamen sororem propriam. Ergo & nunc non debet esse prohibitio æqualis de affinitate, & consanguinitate.

Sed contra. Ex hoc ipso est aliqua mihi affinis quod meo consanguineo est conjuncta. Ergo in quocumque gradu sit vir mihi consanguineus, in illo gradu erit uxor mihi affinis; & sic gradus affinitatis computari debent in eodem numero sicut & gradus consanguinitatis.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum eadem ratione qua & consanguinitas: sicut enim inest necessitas quædam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita & affinis; & sicut est quoddam amicitie vinculum inter consanguineos, ita inter affines. Sed si affinitas matrimonio superveniat, non potest ipsum dirimere, ut supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod affinitas non contrariatur matrimonio ex quo causatur, sed contrariatur matrimonio quod cum affine contrahendum esset, in quantum impediret amicitie multiplicationem, & concupiscentie repressionem, quæ per matrimonium queruntur.

Ad secundum dicendum, quod res possessæ à viro non efficiuntur aliquid unum cum ipso viro, sicut uxor efficitur una caro cum ipso: unde sicut consanguinitas impedit conjunctionem ad virum, ita ad uxorem viri.

## SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod res non dividitur divisione per se, nisi ratione illius quod competit sibi secundum suum genus, sicut animal per rationale, & irrationale, non autem per album, & nigrum. Carnis autem propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediate consanguinitatis vinculum contrahitur; sed ad affinitatem non comparatur nisi mediante consanguinitate, quæ est causa ejus. Unde cum gradus attentionis per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se & immediate competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate: & ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.

Ad primum ergo dicendum, quod gradus in primo IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al. non est.*

pinquitate attentionis non possunt accipi, nisi secundum ascensum, & descensum propagationis, ad quam non computatur affinitas, nisi mediante consanguinitate: & ideo non habet affinitas gradus per se, sed sumptos juxta gradus consanguinitatis.

Ad secundum dicendum, quod filius affinis meæ ex alio matrimonio non per se loquendo, sed quasi per accidens dicebatur antiquitus affinis: unde prohibebatur à matrimonio magis propter publicæ honestatis justitiam quam propter affinitatem; & propter hoc etiam illa prohibitio (1) est revocata.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod ex quo gradus affinitatis sumitur juxta gradus consanguinitatis, oportet quod tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis. Sed tamen quia affinitas est minus vinculum quam consanguinitas, facilius & olim, & nunc dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis quam in remotis gradibus consanguinitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod illa minoritas vinculi affinitatis respectu consanguinitatis facit varietatem in genere attentionis, non in gradibus: & ideo ratio illa non est ad propositum.

Ad secundum dicendum, quod frater non poterat accipere uxorem fratris sui defuncti, nisi in casu, quando scilicet moriebatur sine prole, ut suscitaret semen iratri suo: quod tunc requirebatur, quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur; quod nunc locum non habet: & sic patet quod non ducebat eam in uxorem quasi gerens propriam personam, sed quasi supplens defectum fratris sui.

## ARTICULUS III.

*Utrum filii qui nascuntur extra verum matrimonium, sint illegitimi.*

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod filii qui nascuntur extra verum matrimonium, non sint illegitimi. Quia secundum legem nature natus legitimus filius dicitur. Sed quilibet filius nascitur secundum legem ad minus naturæ, quæ est fortissima. Ergo quilibet filius est legitimus.

2. Præterea. Communiter dicitur, quod legitimus filius est, qui est de legitimo matrimonio natus, vel de eo quod in facie Ecclesiæ legitimum reputatur. Sed contingit quandoque quod aliquod matrimonium reputatur legitimum in facie Ecclesiæ, quod habet impedimentum ne sit verum matrimonium; & tamen à contrahentibus in facie Ecclesiæ scitur; & si occulte nubant, & impedimentum nesciant, legitimum videtur in facie Ecclesiæ, ex quo per Ecclesiam non prohibentur. Ergo filii extra verum matrimonium nati, non sunt illegitimi.

Sed contra. Illegitimum dicitur quod est contra legem. Sed illi qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem. Ergo sunt illegitimi.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod illegitimi filii non debeant ex hoc aliquod damnatum reportare. Quia filius non debet puniri pro peccato patris, ut patet per sententiam Domini Ezech. xvi. 11. Sed quod iste nascatur

rum ex illicito coitu, non est peccatum proprium, sed peccatum patris. Ergo ex hoc non debet aliquod damnum incurere.

2. Præterea. Justitia humana est exemplata à divina. Sed Deus æqualiter largitur bona naturalia legitimis, & illegitimis filiis. Ergo & secundum jura humana filii illegitimi debent legitimis æquiparari.

Sed contra est quod dicitur Genes. xxv. quod Abraham dedit omnia bona sua Isaac, & filiis concubinarum largitus est munera; & tamen illi non erant ex illicito coitu nati. Ergo multo magis debent illi qui ex illicito coitu nascuntur, hoc damnum reportare, quod non succedant in bonis paternis.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod filius illegitimus non possit legitimari. Quantum enim distat legitimus ab illegitimo, tantum è converso illegitimus à legitimo. Sed legitimus numquam fit illegitimus. Ergo nec illegitimus legitimus.

2. Præterea. Coitus illegitimus causat illegitimum filium. Sed coitus illegitimus numquam fit legitimus. Ergo nec filius illegitimus legitimari potest.

Sed contra. Quod per legem inducitur, per legem revocari potest. Sed illegitimitas filiorum est per legem positivam inducta. Ergo potest filius illegitimus legitimari ab eo qui habet auctoritatem legis.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod quadruplex est status filiorum. Quidam enim sunt naturales, & legitimi, sicut qui nascuntur ex legitimo matrimonio. Quidam naturales, & non legitimi, ut filii qui nascuntur ex simplici fornicatione. Quidam legitimi, & non naturales, sicut filii adoptivi. Quidam nec legitimi, nec naturales, sicut spurii nati de adulterio, vel de stupro: tales enim nascuntur & contra legem positivam, & expresse contra legem naturæ. Et sic concedendum est quosdam filios esse illegitimos.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis illi qui nascuntur ex illicito coitu, nascantur secundum naturam, quæ communis est homini, & aliis animalibus; tamen nascuntur contra legem naturæ quæ est propria hominibus: quia fornicatio, & adulterium, & hujusmodi sunt contra legem naturæ: & ideo tales secundum nullam legem sunt legitimi.

Ad secundum dicendum, quod ignorantia excusat illicitum coitum à peccato, nisi sit affectata: unde illi qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorent, non peccant, nec filii sunt illegitimi. Si autem sciant, quamvis Ecclesia sustineat, quæ ignorat impedimentum, non excusantur à peccato, nec filii ab illegitimitate. Si autem nesciant, & in occulto contrahant, non excusantur, quia talis ignorantia videtur affectata.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod aliquis dicitur damnum incurere dupliciter. Uno modo ex hoc quod ei subtrahitur quod erat ei debitum; & sic filius illegitimus nullum damnum incurrit. Alio modo per hoc quod ei aliquid non est debitum, quod alias poterat ei esse debitum; & sic filius illegitimus damnum incurrit duplex. Unum, quia non admittitur ad actus legitimos, sicut ad officia, vel dignita-

tes, quæ requirunt quamdam honestatem in illis qui hoc exercent. Aliud damnum incurrit, quando non succedunt in hæreditate paterna. Sed tamen naturales filii succedere possunt in sexta parte tantum; spiritui autem in nulla parte, quamvis ex jure naturali parentes eis in necessariis providere teneantur: unde pertinet ad sollicitudinem Episcopi ut utrumque parentum cogat ad hoc quod eis provideant.

Ad primum ergo dicendum, quod incurere damnum hoc secundo modo, non est poena: & ideo non dicimus, quod sit poena alicui quod non succedit in regno aliquo per hoc quod non est filius Regis: & similiter non est poena quod alicui qui non est legitimus, non debentur ea quæ sunt legitimorum filiorum.

Ad secundum dicendum, quod coitus illegitimus non est contra legem, in quantum est actus generativæ virtutis, sed in quantum est prava voluntate procedit: & ideo filius illegitimus non incurrit damnum in his quæ acquiruntur per naturalem originem, sed in his quæ per voluntatem fiunt, vel possidentur.

### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod filius illegitimus potest legitimari, non ut fiat de legitimo coitu natus, quia coitus ille transivit, & numquam potest fieri legitimus, ex quo semel fuit illegitimus; sed dicitur legitimari, in quantum damna quæ filius illegitimus incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem. Et sunt sex modi legitimandi: duo secundum canones, scilicet cum quis ducit in uxorem illam ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium; & per specialem indulgentiam, & dispensationem Domini Papæ. Quatuor autem alii modi sunt secundum leges. Primus est, si pater filium naturalem curiæ Imperatoris offert: ex hoc enim ipso legitimatur propter curiæ honestatem. Secundus, si pater testamento nominet eum legitimum hæredem, & filius postmodum testamentum offerat. Tertius est, si nullus sit filius legitimus, & ipsemet filius seipsum Principi offerat. Quartus est, si pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione eum legitimum nominet, nec adjiciat naturalem.

Ad primum ergo dicendum, quod alicui potest sine injustitia gratia fieri; sed non potest aliquis damnificari, nisi pro culpa: & ideo magis potest illegitimus fieri legitimus quam è converso: etsi enim aliquando legitimus privetur hæreditate pro culpa, non tamen dicitur illegitimus filius, quia generationem legitimam habuit.

Ad secundum dicendum, quod actus illegitimus habet defectum intra se inseparabilem, quo legi opponitur: & ideo non potest fieri legitimus. Nec est simile de filio illegitimo, qui non habet hujusmodi defectum.

### ARTICULUS IV.

*Utrum incestus differat specie ab aliis speciebus luxuriæ.*

2. 2. quæst. CLIV. art. 9.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod incestus non differat specie ab aliis speciebus luxuriæ quas Magister in littera tangit. Materia enim non diversificat speciem. Sed ea quæ Magister in littera enumerat, non differunt nisi penes materiam. Ergo non sunt diversæ species peccati.

2. Præterea. Coloss. III. super illud: *Fornicationem, immunditiam, &c.* dicit Glossa interlinealis, quod

fornicatio est omnis concubitus præter legitimum coitum. Sed incestus est hujusmodi. Ergo est fornicatio; & ita non dividitur specie à fornicatione.

Sed contra. Virtutes, & vitia distinguuntur specie penes objecta. Sed illa quæ hic ponuntur, diversificantur per objecta. Ergo differunt specie.

### QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod dividat species luxuriæ inconvenienter. Quia Apostolus Ephes. v. 3. videtur tantum duas species ponere, ubi dicitur: *Fornicatio, & omnis immunditia... non nominetur in vobis.*

2. Præterea. Ad Coloss. III. ponuntur quatuor species, scilicet fornicatio, immunditia, concupiscentia, libido.

3. Præterea. Ad Galatas v. ponuntur alia species quatuor, scilicet fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. Ergo cum ipse prætermittat has species, videtur insufficienter dividere.

4. Præterea. Maximum peccatum in genere luxuriæ est peccatum contra naturam. Sed de illo nullam facit mentionem. Ergo videtur insufficienter.

5. Præterea. Plus distat vidua à meretrice, quam virgo à vidua. Sed luxuria quæ committitur cum virgine, distinguitur ab illa quæ committitur cum vidua. Ergo & illa quæ committitur cum vidua, deberet distinguì ab illa quæ committitur cum meretrice.

6. Præterea. Isidorus (Gelasius Papa xxxvi. quæst. I. cap. *Lex illa*) dicit, quod stuprum est virginum illicita defloratio, quando scilicet pactio conjugalis non præcessit. Sed hoc est etiam in raptu. Ergo raptus non debet contra stuprum distinguì.

7. Præterea. Inter species luxuriæ nominatur etiam sacrilegium, quod committitur cum aliquis violat mulierem Deo consecratam, vel cum qua habet spirituales cognationem. Ergo cum hoc prætermittat, videtur insufficienter.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod male ordinet ista vitia. Quia nobilior est castitas virginalis quam conjugalis. Sed adulterium est contra castitatem conjugalem, stuprum autem contra virginalem. Ergo stuprum est gravius peccatum, & sic deberet præponi adulterio.

2. Præterea. Nulla dispensatione fieri potest quod aliquis licite concubat cum illa cum qua committit incestum, sicut per dispensationem potest accipere uxorem consanguineam in quarto (1) gradu, cum qua erat prius incestus. Ergo adulterium est gravius peccatum quam incestus; & sic non deberet præmitti.

3. Præterea. Ad puellam quæ rapitur, potest esse matrimonium, quando non fit violentia ipsi, sed parentibus. Sed ad illam quæ per incestum violatur, non potest esse matrimonium. Ergo incestus est gravius peccatum quam raptus; & sic videtur quod male ordinet.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod, sicut supra dist. xvi. quæst. III. art. 2. quæst. IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al. deest gradu.*

tiunc. 3. in corp. dictum est, circumstantia peccatum in aliud genus mutat, quando alterius generis peccati deformitatem addit, & secundum hoc isti luxuriæ modi qui hic ponuntur, differunt specie: quia fornicatio non importat quantum est de se aliam deformitatem, nisi quæ ad genus luxuriæ pertinet, est enim soluti cum soluta: & dicitur fornicatio à fornice, quia juxta fornices, id est arcus triumphales, & in aliis locis ubi homines conveniebant, congregabantur meretrices, & illi polluebantur. Sed stuprum, quod est illicita virginum defloratio, addit aliam deformitatem, scilicet damnificationem mulieris violatæ, quæ non est ita apta ad nubendum sicut ante; & hæc damnificatio etiam per se specialem legis prohibitionem habet. Similiter etiam adulterium, quod est alterius thori violatio, addit specialem deformitatem alterius generis, quæ est usu rei alienæ illicito, quod pertinet ad genus iniustitiæ. Similiter etiam incestus, qui est consanguinearum, vel affinium abusus, ab incendio nomen habens, vel à privatione castitatis, quasi antonomastice, quia castitatem violat in illis qui maximo federe conjunguntur, addit specialem deformitatem, scilicet naturalis fœderis violationem. Similiter etiam raptus qui committitur ex hoc quod puella à domo patris violenter abducitur, ut corrupta in matrimonium habeatur, sive vis puellæ, seu parentibus illata constiterit, patet quod alterius generis deformitatem addit, scilicet violentiam, quam lex in quacunque re prohibet: & sic patet quod sunt diversæ species peccatorum: unde etiam circumstantiæ quibus diversificantur, non sunt in confessione omittendæ.

Ad primum ergo dicendum, quod materialis diversitas in proposito habet secum annexam formalem diversitatem objecti; & ideo sequitur diversitas in specie.

Ad secundum dicendum, quod illa species luxuriæ quæ non addit aliquam specialem deformitatem alterius generis, retinet sibi nomen commune, nec dividitur contra alias species, nisi secundum quod accipitur cum præcisione illorum quæ per alias species adduntur.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod species luxuriæ distinguuntur primo per concubitus secundum naturam, & contra naturam. Sed quia luxuria contra naturam innominabilis est, relinquatur. Si autem sit peccatum in concubitu secundum naturam, tunc aut non addit aliquam deformitatem super luxuriæ genus, & sic est fornicatio; aut addit, & hoc dupliciter: quia vel quantum ad modum agendi, & sic est raptus, qui violentiam importat, vel ex conditione ejus cum qua luxuria committitur; & hæc conditio vel est ipsius absolute, sicut virginitas, & sic est stuprum; vel est ipsius in ordine ad alterum; & hoc vel ad concubentem cum ea, sicut est conditio affinitatis, vel consanguinitatis, & sic est incestus; vel ad alium aliquem, sicut est matrimonium, & sic est adulterium.

Ad primum ergo dicendum, quod immunditia ponitur pro omni luxuriæ specie, quæ addit deformitatem specialem supra genus luxuriæ; & sic comprehendit alias quatuor species.

Ad secundum dicendum, quod illæ quatuor dif-